

condigno augmentum gratiæ, et consequenter meretur illud ut perpetuo duraturum et conservandum, quantum est ex parte Dei, nisi ipsemet peccando obicem conservationi apponat. Non potest autem conservari augmentum, nisi gratia ipsa conservetur; ergo consequenter meretur totius gratiæ conservationem sub eadem conditione. His ergo modis potest conservatio gratiæ sub meritum de condigno cadere.

38. *Ad Cajetanum in num. 34 allatum.*—*Ad secundum argumentum principale in jam memorato num. 1.*—*Ad tertium.*—Ratio autem in contrarium ex Cajetano sumpta ex dictis soluta relinquitur. Nec ratio D. Thomæ ita explicanda est, sed alio modo, quem jam tradidimus. Alia vero duo argumenta in principio posita ex dictis manent expedita. Nam in secundo argumento falsum est antecedens quod assumitur; ita enim ostensum est in actu meritorio non esse proportionem aut rationem illam merendi de condigno auxilia congrua, efficacia ad actus futuros. In tertio vero argumento, negari potest prima propositio assumpta; quia potissima ratio ob quam negamus meritum de condigno doni perseverantiæ, non est propter vitandum inconveniens illud de certitudine et securitate perseverantiæ, nam illud fortasse in rigore non sequitur, sed est propter alias rationes directe ostensivas, et propter alia incommoda vitanda, et propter communem auctoritatem, ut explicuimus. Deinde addi potest, licet non sequatur absoluta certitudo perseverandi in gratia, sequitur saltem hypothetica, nimirum, quod si justus habuit aliquos actus meritorios de condigno, potest esse securus et certus se perseveraturum, et consequenter sequitur tanta morali certitudine posse esse de sua perseverantia securum, quanta credit se aliquando fuisse justificatum, et aliquid de condigno apud Deum meruisse; hæc autem satis absurda sunt.

CAPUT XXVII.

UTRUM HOMO POSSIT DE CONDIGNO MERERI REPARATIONEM POST LAPSUM?

1. *Propositio quæstionis ejusque expositio.*—Tractatur hæc quæstio a D. Thoma, dicta q. 115, art. 7, facileque ex dictis in cap. præcedenti expediri potest. Perinde enim est quærere an justus possit de condigno reparationem post lapsum mereri, ac quærere

an possit mereri, ut, si peccaverit, efficaciter convertatur a Deo ad pœnitentiam, ut iterum justificetur. Ex dictis autem evidenter sequitur non posse dari tale meritum. Primo, quia magis est resuscitare mortuum quam conservare viventem; ergo si justus non potest absolute secundum mereri, minus poterit mereri primum. Secundo, quia in discursu præcedenti, ostensum est non posse justum mereri vocationem ad observanda in futurum præcepta, et vitanda peccata, nec omnia, nec aliqua; ergo multo minus poterit mereri, ut detur sibi postea vocatio efficax ad contritionem. Tertio, quia vel hoc meritum debet fundari in actibus quos justus facit, dum justus est vel in actibus quos post lapsum operatur. Hoc posterius facile rejicitur, quia illi actus jam non sunt ab homine grato, et ideo non possunt esse meritorii de condigno. Nec enim sufficit fuisse gratum, quia dignitas, quæ jam non est, non potest actus dignificare, præsertim cum obstet præsens peccatum. Neque etiam dici potest primum, quia priora merita per subsequens peccatum mortificantur, quam mortificationem D. Thomas vocavit interruptionem divinæ motionis, per quod cessant dubitationes Cajetani. Neque potest justus mereri ut non mortificetur, licet peccet, quia hoc necessario sequitur ex ipsa malitia et demerito. Quia (ut supra dixi) repugnat eum qui est in peccato mortali habere jus justitiæ coram Deo, ut supra dictum est; ergo postquam labitur in peccatum, non potest retinere jus justitiæ ad resurgendum, sed omnes justitiæ ejus non recordabuntur amplius, ut dicitur Ezechiel. 18, sub qua universali etiam hoc particulare comprehenditur. At tandem hoc confirmant omnia Scripturæ, Conciliorum et Patrum testimonia, quæ remissionem peccati mortalis dicunt fieri gratis, et ex misericordia, nam indifferenter loquuntur, sive nulla, sive pauca, sive multa merita præcesserint.

2. *Resolutio facta communis est.*—Est ergo certissima hæc resolutio, et ideo etiam est communis D. Thomæ, dicto art. 7, et ibi omnium; et Alens., 3 p., quæst. 61, memb. 5, art. 2, § 2; Gabriel in 2, d. 17, q. unic., art. 3, dub. 3, et ibi Dionysius Cister., q. unic., art. 1, concl. 5, qui optime id confirmat, tum quia justus non potest de condigno mereri ut, si peccaverit, vivat aliquo tempore post lapsum; tum etiam quia eo ipso quod justus peccat mortaliter, fit indignus vita æterna, et absolute dignus pœna æterna; ergo ex toto

rigore justitiæ potest statim hac pœna puniri, et nullo modo disponi iterum ad vitam æternam. Nam cum indignus sit illa, etiam est indignus omni præparatione ad illam, qualis per justificationem fit. Et hoc etiam supponunt omnes auctores, qui in hoc casu etiam meritum de congruo negant; imo etiam qui illud admittunt, supponunt non posse esse de condigno; utrosque vero referemus in fine hujus materiæ, tractantes de merito congrui, ubi difficultates utriusque merito communes expediemus.

3. *Objectio.*—Potest vero hic objici illud Pauli ad Hebræos 6: *Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministratis sanctis, et ministrastis.* Quæ verba ad comprobanda justorum merita allegat Concilium Tridentinum, et in eis loquitur Paulus ad fideles, qui prius justi fuerant, et bona opera ex charitate fecerant, et postea lapsi fuerant, et de illismet operibus ait non fore injustum Deum ut talium obsequiorum obliviscatur; ergo esset injustus Deus, nisi intuitu talium meritorum homines sic lapsos in gratiam suam revocaret; ergo illi hoc meruerunt de condigno. Et confirmatur ratione, quia opus bonum hominis justi etiam post lapsum manet meritorium vitæ æternæ; ergo etiam potest manere meritorium reparationis post lapsum. Consequentia probatur, quia plus videtur esse meritum vitæ æternæ durare cum peccato, quam meritum reparationis post lapsum.

4. *Solutio quorundam.*—*Legitima solutio.*—Ad verba Pauli respondent aliqui loqui Paulum ad Hebræos fideles et justos, qui, licet remisse et imperfecte viverent, nondum tamen justitia exciderant, sed in gratia et bonis operibus perseverabant, ut verbum illud de præsentibus, *et ministratis*, indicat. Quam expositionem attigit Cajetanus et late defendit Ribera, et multum indicat Chrysostomus oration. 10, quem Theophylactus imitatur, expendens illa verba: *Confidimus autem de vobis*, etc., quæ expositio probabilis est, et illa supposita, cessat objectio. Nihilominus tamen admittimus loqui Paulum cum his qui, post statum justitiæ et bona opera in ipso facta, lapsi in peccato fuerant. Id enim et contextui magis consentaneum est, et a Concilio Tridentino supra non leviter insinuat, et docent Anselmus, D. Thomas et Glossæ ibi. Hoc ergo posito, advertere oportet duo genera operum Pau-

lum ibi commemorare, scilicet, præterita et præsentia, ut ostendunt illa verba, *ministratis, ministrastis*; et de præteritis etiam operibus dixerat: *Operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Omisso autem pro nunc verbo præsentis temporis, *ministratis*, quod postea agentes de merito congruo expendemus, circa alia verba de præteritis operibus uno verbo respondeo, priora verba: *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis*, habere imbibitam conditionem, *si resipiscatis, et pœnitentiam egeritis*, ut recte attigit Gratianus de Pœnitent., dist. 2, post cap. *Non est tam*, c. 29, § *Operis*, inquit: *Quasi diceret: Olim multa operati estis, pro quibus, si pœniteatis de malis, benefaciet vobis Deus.* Quæ verba ex Anselmo in illum locum sumpta videntur, nam in illo etiam leguntur et in Glossa. Hoc autem posito, respondet D. Thomas ibi, lectione tertia, loqui Paulum de justitia late, ut invenitur in merito de congruo, ut ipse ibi admittit in operibus præteritis factis in statu justitiæ ad resipiscendum postea de peccatis commissis. Sed de hoc merito postea videbimus, nam illi loco quoad hanc partem non recte adaptatur. Respondemus ergo Paulum non dicere fore injustum Deum, si justum post bona opera lapsum a peccato non revocat, sed fore injustum, ut obliviscatur operum hominis lapsi, ut licet convertatur et pœnitentiam agat, illa præterita opera non remuneret. Ac proinde vult Paulus ad justitiam Dei pertinere remunerare illa merita, si homo a peccato resipiscat, quamvis ipsam resipiscentiam et pœnitentiam tantum ex misericordia consequatur. Hæc enim duo repugnantia non sunt, nam priora merita non fuerunt extincta, sed mortificata et impedita per superveniens peccatum. Et quamvis illa non mereantur hujus impedimenti ablationem, sed ex nova Dei misericordia tollendum sit, nihilominus, illo gratis ablato, statim priora merita suam vim recuperant, et justitiam exercent, quia sub hac tantum conditione suum præmium meruerunt, videlicet, si homo in gratia decesserit, quæ impletur, etiamsi homo ex misericordia, et non ex justitia resurgat, ut latius in speciali disp. de Reviscentia meritor. tractavi.

5. *Instantia solvitur.*—Sed tunc instat altera objectio, ad quam facile respondetur opus factum ab homine in statu justitiæ, principio fuisse meritorium vitæ æternæ, et

ideo idem meritum potest in ipso secundum se spectato permanere, etiamsi peccatum superveniat; non sic autem meruisse a principio reparationem post lapsum, et ideo nihil est meriti quod in eo maneat respectu ejusdem reparationis, postquam peccatum committitur. Deinde a priori est optima differentia, quam tetigit Cajetanus in dicto artic. 7, nam justus meretur vitam æternam sibi justo reddendam, nam si non sit justus saltem eo tempore quo recepturus est præmium, non recipiet præmium ex vi talis meriti. Quia non potest quis mereri de condigno, ut detur sibi præmium, etiamsi in illo statu indignus sit. Et ideo, licet D. Thomas, in dicto artic. 7, dicat justum non mereri præmium vitæ æternæ, sub conditione si perseveret, sed absolute, nihilominus non est ita absolutum meritum, quin includat conditionem: Si in gratia decesserit, ut Concilium Tridentinum supra dixit, quæ conditio minor est quam illa: Si perseveret, quia potest quis non perseverare, sed gratiam amittere post multa merita, et nihilominus postea gratiam amissam recuperare, et in ea decedere, quod necessarium est ut præmium vitæ æternæ consequatur, quia alias erit indignus tali præmio. At vero si quis mereretur reparationem post lapsum, mereretur aliquod præmium sibi indigno reddendum, quod justitiæ et merito de condigno repugnat, et ideo in operibus justis non præcedit tale meritum. Assumptum clarum est ex dictis, quia mereretur de condigno, ut sic in peccato mortali existenti, ac subinde indigno daretur vocatio efficax ad respiscendum. Et ideo non est similis ratio in merito æternæ vitæ et respicientiæ post lapsum.

CAPUT XXVIII.

AN JUSTI PRIMAM GLORIAM SEU TOTAM GLORIAM A PRIMO GRADU DE CONDIGNO MEREANTUR?

1. *Gloria cadit sub merito de condigno.* — Cum gratia ejusque opera ad æternam vitam principaliter ordinentur, non solum in præsentis, sed in illa præcipue, præmium meritum habere debet, et ideo, explicatis hujus vitæ præmiis, de recipiendis post hanc vitam dicendum superest. Inter illa autem præcipuum est essentialis beatitudo, quam nunc nomine gloriæ intelligimus. De qua, simpliciter loquendo, certum est cadere sub verum justitiæ meritum justorum, quod a Theologis de condigno appellatur. Nam quod tale sit

justorum meritum, supra cap. 1 ostensum est. Et testimonia ibi ex Scriptura et Patribus adducta simul probant ultimam illius meriti mercedem esse vitam æternam, juxta illud ad Gal. 6: *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*; et illud Jacob. 1: *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ* (utique æternæ), *quam repromisit Deus diligentibus se*. Unde intelligimus ipsam vitam æternam esse illam coronam justitiæ, quam Paulus dicebat sibi et omnibus diligentibus ad adventum Domini esse repositam, 2 Timot. 4; eadem autem vita æterna est gloria, quæ Matth. 20 denarium diurnum et merces operariorum appellatur. Quam igitur certum est meritum præcipuum justorum esse de condigno, tam est certum illos mereri de condigno gloriam. Et ita docet Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 16, et can. 32. Et rationes in eodem cap. 1 factæ idem probant. Neque huic merito obstat quod vita æterna gratia vocatur ad Rom. 6; non enim dicitur gratia, quia non sit ex merito, sed quia meritum illud fundatur in gratia, ut in eodem cap. 1 ex Augustino late dixi, et in capite sequenti alias rationes addam.

2. *Divisio gloriæ notatur pro resolutione quæstionis.* — *Ratio dubii pro utraque parte adducitur.* — Ut autem distinctius et Theologico more veritatem hanc explicemus, distinguere oportet gloriam in essentialem, quæ est visio, et accidentalem; et suo ordine de illis dicendum est. Præterea essentialis gloria in primam et secundam per proportionem ad gratiam distinguenda est. Vocatur autem prima gloria non quidem aliquis certus vel minimus gradus gloriæ, quia non oportet primam gloriam esse æqualem in omnibus beatis, sicut nec primam gratiam, nam gloria gratiæ respondet. At gratia prima vocatur, quæ in prima justificatione seu transitu ab statu peccati ad statum gratiæ infunditur, sive magna, sive parva sit, juxta mentem Concilii Tridentini, sess. 6, cap. 7. Ita ergo illa vocatur prima gloria, ad quam ex vi primæ gratiæ homo acceptatur; gloria autem secunda dici poterit quodlibet gloriæ augmentum, quod etiam augmento gratiæ respondet. In hoc ergo sensu de sola prima gloria in præsentis capite tractamus. Solumque versatur quæstio de adultis, nam infantes nec capaces sunt meriti, nec in eis, per se loquendo, distinctio primæ et secundæ gratiæ vel gloriæ locum habet. In adultis vero ratio dubitandi circa propositam quæstio-

nem ex proxime dictis oritur. Nam prima gloria respondet primæ gratiæ; sed prima gratia non cadit sub meritum de condigno; ergo nec prima gloria. Probatur consequentia, quia ex vi ipsius primæ gratiæ acceptatur homo ad primam gloriam; ergo, eo ipso quod gratis afficitur gratia, gratis etiam acceptatur ad gloriam; repugnat autem fieri ex merito de condigno, quod gratis fit. In contrarium est, quia adulti non sunt ad beatitudinem admittendi, nisi juxta opera sua, ut sæpe Scriptura loquitur, et specialiter in sententia finalis judicis declaratur, Matth. 25; ergo nullam gloriam, sive primam, sive secundam, homines consequuntur, nisi ex meritis; ergo ut primam gloriam obtinere possint, necesse est ut illam de condigno mereantur.

3. *Opinio prima.* — *Ejus primum argumentum.* — *Secundum.* — In hoc puncto variæ sunt sententiæ; prima generaliter negat hominem mereri de condigno primam gloriam, sed ad illam, sicut ad primam gratiam gratis semper acceptari, et postea etiam gratis conferri respectu recipientis, licet respectu Christi ex meritis ejus conferatur. Hanc sententiam defendit Vega, Opusc. de Justificat., quæst. 6, ad 9, quem sequitur Petrus Lorea 1. 2, quæst. 214, art. 5, disp. 49 de Grat., in dubio incidente. Allegatur etiam Paludanus in 4, d. 14, quæst. 3, sed nihil dicit. Item allegatur ibi Gabriel, quæst. 1, art. 2, et Gregorius in 1, d. 17, quæst. 1, art. 2. Sed nihil etiam dicunt, et potius ex principiis eorum contrarium colligi posset, ut dicam. Denique allegatur Ruardus, art. 9, contra Lutherum, qui in § *Ad primam* aliquid insinuat. Objecerat enim de primo latrone quod nulla prorsus merita haberet, et nihilominus beatitudinem speraverit ex sola gratia et misericordia Dei. Idemque proponit de peccatoribus, quos in fine primum pœnitent suorum peccatorum. In responsione autem utrumque admittitur videtur; ait enim non esse necessarium ut expectatio beatitudinis semper sit ex meritis, sed quando operandi tempus et opportunitas adest, non autem quando deest. Sit ergo hoc primum pro hac sententia argumentum. Quia peccator non potest expectare beatitudinem ex meritis in eodem instanti in quo convertitur et justificatur; ergo nec post illam de condigno mereri. Probatur consequentia, quia si posset habere tale meritum, posset etiam ponere spem in illo in suo gradu. Antecedens vero patet, quia expectatio ex me-

rito debet supponere meritum; sed in illo instanti non potest supponi meritum de condigno, quia toto tempore præcedenti homo fuit in peccato; ergo. Secundum argumentum esse potest, quia homo non meretur primam gratiam, ut supponitur; ergo neque primam gloriam. Consequentia probatur, quia gratia est acceptatio ad gloriam; ergo qui gratis gratiam accipit, gratis acceptatur ad gloriam; ergo non potest simul acceptari ex meritis, nam illa duo repugnant, teste Paulo.

4. *Tertium argumentum et præcipuum.* — Tertio ac præcipue argumentor, quia homo non potest mereri primam gloriam per opera antecedentia justificationem duratione, ut per se notum est, quia illa non sunt hominis grati, nec per opera facta post instans justificationis, quia illa jam merentur de condigno augmentum gratiæ, et consequenter augmentum gloriæ; non potest autem simul primam gloriam et augmentum ejus mereri; tum quia augmentum supponit rem augendam; tum etiam quia esset præmium ultra proportionem et capacitatem actus. Nec denique potest hoc meritum esse in eodem instanti justificationis, quod sic ostendo. Quia tribus modis posset id intelligi: primo, per actus, quibus homo disponitur ad remissionem peccati, ut ordine naturæ antecedunt infusionem gratiæ; secundo, per eosdem actus, ut permanent cum gratia, et ab illa informantur in posteriori naturæ; tertio, per aliquem actum in eodem instanti a gratia habituali elicatum; nihil autem istorum dici potest; ergo. Minor quoad primam partem certissima est, quia ille actus ut sic non est meritorius primæ gratiæ; ergo nec primæ gloriæ. Probatur consequentia, tum quia est eadem ratio, scilicet, quod ille actus, ut sic, non est hominis grati, nec peccatum remissum supponit; tum etiam quia actus non est meritorius gloriæ, nisi vel gratiam supponat, vel illam mereatur, sicut nullus potest desiderare finem efficaciter, nisi vel media desideret, vel jam habeat.

5. Secunda pars ejusdem minoris probatur primo, quia ut actus sit meritorius de condigno gloriæ, debet esse elicatus ab homine jam grato, et consequenter ab habituali gratia; sed ille actus etiam in secundo instanti naturæ non est elicatus a gratia, licet concomitanter sit cum illa; ergo id non satis est ut ille actus fiat meritorius de condigno. Major videtur imprimis esse D. Thomæ, dicta